

Peter Wasmund Daniel Rantzow von

Disputatio De Testamentis, Qui Ea Facere Possint, Et Quemadmodum Fiant


Rostochii: Pedanus, 1612

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730622886>

Druck Freier  Zugang



Vert.
Petu Wassmann (Daniel Ranzau) 1e
R. U. im 1612.



DISPUTATIO
DE
TESTAMENTIS,
QUI EA FACERE POS-
SINT, ET QUEMADMO-
DUM FIANI,

Quam.

Duce & auspice Christo

*Consensu & autoritate Amplissimi JCorum ordinis in
celeberrima Academia Rostochiensis,*

Præside

PRÆSTANTISSIMO AC DOCTISSIMO VIRO,

Dn. PETRO VVASMUNDT I.U.C.

Neobrandenburg. Megapolitano.

habebit

Daniel Nankow.

Ad diem 30. Decembr.



Rostochi

Excudebat Joachimus Pedanus

Anno M. DC XII.

*Magnificis, Strenuis, Nobilissimis ac
Præstantissimis Viris,*

DN. HENRICO RANTZOVIO,
Consiliario, ac Præfecto Regio in arce
Rensburg, hereditario in Putlose & Pancker,
agnato suo plurimum hono-
rando:


ET

Dn. GOTSCHALCO VVENSINIO,
Illustrissimi Holsatiæ Principis *Johannis*
Adolphi Consiliario intimo, avunculo suo
magno, æternum colendo,

*Proceribus Holsatiæ primarijs & judicij
Provincialis assessoribus di-
gnissimis.*

*Hoc legale exercitium debiti amoris & obser-
vantia ergo inscribit*

Respondens.





DISPUTATIO
DE TESTAMENTIS,
Qui ea facere possint, & quemad-
modum fiant.

Continuatio.

Postquam hætenus singulares acquirendi dominij
modos disputationibus aliquot percepimus; ordine
à Iustiniano nobis præscripto, exigente, nunc de u-
niversali rerum dominia acquirendi modo, nempe heredi-
ditate videbimus. Hæc vero cum duplici jure nobis ob-
veniat, vel testamento, vel ab intestato, potiorque sit suc-
cessio testamentaria, quàm quæ sit ab intestato, *l. 8. in fin. C. comm. de success. l. 89. ff. de R. J. l. 39. ff. de acquir. hered. l. 2. C. unde liberi:* de testamento priori loco agendum erit,

THESIS I.

Testamentum à testatione mentis dictum, *in pr. Inst. h. t.* definitore Modestino *in l. 1. ff. qui testam. fac. poss.* est voluntatis nostræ iusta sententia, de eo, quod quis post mortem suam fieri velit. Estque hodiè (varijs testa-
mentorum generibus, quæ olim in usu e-
rant, sublati) paganicum vel militare: prius iterum scri-
ptum vel nuncupativum. Cæterum cum in omni quæ est
de testamento quæstione, an valeat, juxta præceptum

A 2

JCi

¶ Cui Caſſi in l. 4. ff. qui teſtam. fac. poſſ. Primùm omnium animadvertere debeamus, an is qui teſtamentum feciſſe dicitur, habuerit teſtamenti factionem; deinde ſi habuerit, an ſecundum Juris Civilis regulas ſit teſtatus; Hunc ordinem ſecuti, prius de perſonis, quæ teſtamentum facere poſſint; deinde quomodo fiant videbimus. Teſtamentum facere omnibus q. per regulam, tam maſculis, quam fæminis, l. 5. ff. qui teſtam. fac. poſſ. tam paganis, quam militibus, t. t. Inſt. ff. & C. de teſtam. milit. permittitur; niſi expreſſè & ſpecialiter aliqui prohibeantur. *Sichard. ad Rubr. C. qui teſtam. fac. poſſ. num. 2.* Prohibentur autem quædam perſonæ ratione poteſtatis cui ſubjectæ ſunt, ut filiusfam. ne quidem volente patre, *pr. Inſt. quib. non eſt permiſſ. teſtam. fac. l. 6. l. 15. ff. qui teſtam. fac. poſſ. l. penult. C. eod. niſi de Caſtrenſibus bonis, d. pr. Inſt. quib. non eſt permiſſ. teſtam. fac. l. 12. C. qui teſtam. fac. poſſ. Servus, l. 19. l. 20. § 7 ff. d. t. is qui apud hoſtes eſt, l. 8. ff. qui teſtam. fac. poſſ. §. ſin. Inſt. quib. non eſt permiſſ. teſtam. fac. obſes, niſi ei ſpecialiter permittatur, l. 11. ff. qui teſtam. fac. poſſ. Ob defectum judicij teſtamenti factionem non habent impuberes, ſive maſculi, ſive fæminæ, l. 5. l. 19. ff. d. t. furioſi, mente capti, §. 1. Inſt. quib. non eſt permiſſ. teſtam. fac. l. 16. §. 2. ff. teſt. fac. poſſ. prodigi, quibus decreto judiciſ administratione bonorum interdictum eſt, §. 2. Inſt. quib. non eſt permiſſ. teſtam. fac. l. 16. §. 2. l. 18. ff. qui teſtam. fac. poſſ. Præterea quidam ob vitium neceſſarij alicujus ſenſus ad teſtandum inidonei ſunt, niſi hoc à Principe impetraverint, l. 6. in ſin. l. 7. ff. qui teſtam. fac. poſſ. Hodiè tamen ex conſtitutione Juſtiniani mutus & ſurdus ſine impetratione ſuprema ſua ordinare poſſunt, eo modo, qui præſcribitur, in l. 10. C. qui teſtam. fac. poſſ. Cœcus quoq; teſtari poteſt, ſi modo ſervet requiſita commemorata in l. 8. C. eod. Deniq; à teſtamenti*

testamenti factio quidam repelluntur ob crimen & poenam, ut damnatus poena capitali, si à sententia non provocaverit, *l. 13. § 2. ff. qui testam. fac. poss.* Item quibus igni & aqua interdictum est, vel deportati hodiè, *l. 8. § si cui 1. ff. eod.* ante tamen sententiam factum testamentum, si quis post accusationem in custodia fuerit defunctus indemnatur non infirmatur, *l. 9. ff. d. t.* Item testari prohibentur manifesti usurarij, nisi præstita cautione de usuris iniquè extortis reddendis, *c. quanquam 2. in fin. de usur. in 6. hæretici, Authent. Credentes C. de hæret. & Manich. c. 19. de hæret. in 6.* ob carmen famosum damnati, *l. 18. § 1. ff. qui testam. fac. poss.* incestas nuptias contrahentes, *l. 6. & Authent. seq. C. de incest. nupt. sacrum baptisma iterantes, l. fin. C. ne sacrum baptis. iteret. & omnes qui jure improbi intestabilesque esse jubentur, l. 26. ff. qui testam. fac. poss.*

Quæritur.

I.

An testamenta in benè constitutis Rebuspubl. toleranda? A. *Disq. videtur Bodin. lib. 5. de Rep. cap. 2.*

II.

Testamenti factio an sit juris-gentium, an vero juris civilis? A. *post. Forster. part. 1. disp. 12. th. 3. Bronch. cent. 3. ass. 20. Hoen. disp. 7. th. 1. Disq. Cujac. ad l. 1. ff. de testam. Arum. disp. 7. th. 3. Sneyd. ad pr. Inst. h. t. n. 12. & seqq.*

III.

Num filiusfam. de illis bonis adventitijs, quorum ususfructus ad patrem non pertinet, possit testari? N. *Sichard. ad Rubr. C. qui testam. fac. poss. n. 12. Fach. s. controuv. 94. Moller. s. semest. 60. Disq. Vaud. 1. q. 1. Gothofr. ad l. 3. § 1. C. qui testam. fac. poss.*

A 3

Prodigo

IV.

Prodigo, an ipso jure, an magistratus demùm sententia & decreto bonis interdicitur? Hoc A. *Gædd. in tract. de contrah. stipul. cap. 7. conclus. 19. n. 141. § seqq. Robert. dissert. 5. th. 6. Diss. Don. Duar. ad l. 6 ff. de V. O. Idem Donnell. lib. 3. comm. cap. 19. Fach. lib. 2. controu. cap. 63.*

V.

Damnati pœna capitali testamenti factionem de jure veteri non habuerunt: an vero ipsdem hodierno jure testandi facultas data sit, ex *Auth. bona damnatorum C. de bon. prescriptorum*, dubitari solet? N. *Dauth. de testam. n. 210. Gail 1. de pac. publ. c. 19. n. 8. Treutl. part. 2. disp. 10. th. 2. lit. h. Diss. Forster. part. 1. disp. 12. th. 14.*

VI.

An minor absque Curatoris autoritate testari possit? A. *§. 7. Inst. Qui & ex quib. caus. manumitt. non lic. l. 20. §. ult. ff. de liberat. legat. Scharb. ad l. 3. n. 7. C. de in integr. restit. Moller. 5. semest. 21.*

THESIS II.

In modo testandi, ante omnia necessaria est ceu fundamentum, basis, caput & anima testamenti, heredis institutio, *§. 34. Inst. de legat. l. 14. C. de testam.* Heredis institutio est successoris à testatore facta designatio; vel hereditatis nulli aliq̄ antea delatæ datio. *Schardtus in suo Lexico, in verbo Institutio.* Cum vero liberis parentum commune votum, & ratio quædam naturalis & civilis in tantum hereditatem addicat, ut vivis parentibus quodammodo dormini censeantur bonorum paternorum, *§. 2. Inst. de hered. qual. §. drffer. l. 7. in pr. ff. de bon. damnator. l. 7. §. 1. ff. unde liberi; l. 11. ff. de lib. & posthum. non præteriri nec exheredari possunt à parentibus, nisi ex certa aliqua causa probentur ingrati, Nov. 115. cap. 3.*

Quar-

Quæritur.

I.

An liberi ob causas æquè graves, aut graviore relatis in *Novell. 115. c. 3.* exheredari possint? Affirmativa, quam communiorem dicunt, *Sneid. in pr. Inst. de hered. instit. n. 14. Speckhan centur. 1. quæst. 96. Clar. §. testamentum quæst. 41. num. 2. Fach. lib. 6 cap. 78.* an defendi possit videbimus. Ab hac *Dis. Forster. part. 1. disp. 12. th. 18. Bronch. cent. 3. ass. 26.*

II.

Num matris & avi materni præteritio etiamnum hodiè pro exheredatione sit? *N. Novell. 115. cap. 3. in pr. Donell. 6. comm. 11. Hoen. disp. 7. th. 17. Uigl. ad §. ult. Inst. de exhered. lib. Dis. Cujac. ad l. 17. ff. de injust. rupt. §. 1. 4. ff. de lib. & posthum.*

III.

An testamentum in quo filius præteritus est, in totum, an vero quo ad institutionem tantum, corruat? Hoc *A. Novell. 115. cap. 3. in fin. Auth. ex causa C. de liber. præterit. Fach. 4. cont. 10. Dis. Treutl. 2. disp. 11. th. 1. lit. c.*

IV.

Num posthumus jure novissimo exheredari possit? *A. Hoen. disp. 7. th. 16. Duar. ad tit. de inoff. testam. c. 6. Donell. lib. 6. comm. cap. 13. Dis. Forster. part. 1. disp. 12. th. 19.*

V.

Exheredationis causam à testatore omissam, nec testamento insertam, si heres institutus probare velit, an audiendus sit? *N. d. Nov. 115. cap. 3. in fin. Vaud. 2. quæst. 19. Fach. 6. contr. 76.*

THESIS III.

Præsupposita heredis institutione reliquæ testamenti
sole

solemnitates præcipuè in duabus rebus consistunt, scriptura videl. & scripturæ confirmatione. Ad scripturam quod attinet, ante omnia testamentum solemne, integris literis non notis scriptum esse oportet, *l. 21. C. de testam. ment.* Scripturæ confirmatio in tribus potissimum residet; in testibus colligendis: in voluntatis contestatione & deniq; facto testium. Requiritur autem à personis testium ut sint rogati, numero septem, ijque idonei, *l. 21. §. 2. ff. qui testam. fac. poss.* Hinc mulier, furiosus, impubes, servus, prodigus, surdus, cæcus, adulterij vel alterius cuiusdam publici criminis damnati, testes esse non possunt, *§. 6. Instit. h. t. l. 20. §. 3. cum seqq. ff. qui testam. fac. poss.* Quibus addendi sunt etiam ij, qui sunt de domo & familia testatoris, *l. 10. ff. de testib. l. 10. C. eod.* non tamen legatarij & fideicommissarij, *§. 11. Inst. h. t.* Succedit voluntatis contestatio, quam non utique talem esse volumus, ut testibus præsentibus ea palàm pronuncietur; sed sufficiat, si testamenti scripturam clausam convolutam consignatamque testator proferat, testibus demonstret, voluntatem hanc suam esse declaret, petat contestationem & subscriptionem ab ijs: denique si sciat literas ipse subscribat, vel in defectu octavum testem adhibeat, qui testamentum subscriptione confirmet. Quo facto, testes quoque singuli subscribant, signa sua testamento apponant, & hæc omnia, nullo interveniente actu extraneo perficiant, *d. l. 21. C. de testam. l. pen. ff. qui testam. fac. poss. l. 22. §. 4. ff. eod.* Cæterum nuncupativi testamenti solemnities minora existunt; cum in hoc nuncupationem extremæ voluntatis, coram septem testibus ad hoc rogatis, uno actionis contextu sufficere arbitremur, *§. ult. Inst. h. t. l. 8. C. qui testam. fac. poss.*

Quari-

Quaritur.

I.

Num requirantur adhuc hodie in testamentis septem testes? A. Forster. part. 1. disp. 12. th. 4. Diff. CC. comm. in c. cum esses X. de testam. & Alciat. in l. 1. n. 12. C. de Sacrosf. Eccles.

II.

An testium numerus statuto minui possit? A. Hoen. disp. 7. th. 5. Myns cent. 5. obs. 20. n. 1. & 2. Gail. lib. 2. obs. 123. Reusn. tract. de testam. part 3. cap. 23 & seq.

III.

An pestis tempore præcisè nihilominus requirantur septem testes? A. Hoen. d. disp. 7. th. 4. Fach. 5. cont. c. 92. Arum. disp. 7. th. 11. D. ff. Gail. lib. 2. obs. 118. n. 18. & seq. Myns cent. 1. obs. 96. Forster. part. 1. disp. 12. th. 5. Rober. disp. 11. th. 3.

IV.

Filius emancipatus an rectè adhibeatur testis in testamento paterno? A. Hoen. d. disp. 7. th. 8. Forster. part. 1. disp. 12. th. 8. Diff. Duar. lib. 1. disp. 28. Pac. in l. parentes n. 7. & ibi mm. DD. C. de testib.

V.

An ...garius possit esse testis in testamento nuncupativo? A. Rober. disp. 11. th. 6. Diff. Hoen. d. disp. 7. th. 9.

VI.

Quo tempore conditio testium inspicienda? Tempore quo signarent eam inspicere placuit, l. 22. §. 1. ff. qui testam. fac. poss. ubi Daub. n. 4. & seqq.

VII.

Ergo si unus ex testibus, qui facti testamenti tempore

B

porc

pare idoneus ab omnibus habebatur, postea depre-
hendatur fervus, testamentum nihilominus valere re-
spondent Impp. in §. 7. Inst. h. t. ubi: DD.

VIII.

Num testes testamentarij possint alio quovis quoq;
signo præter annulum signare, num annulus præcisè
requiratur? Post. placet: *Dauth, ad l. 22. §. signum ff.*
qui testam. fac. poss. Forster, part. 1. disp. 12. th. 7. Robert. 1.
recept. lect. c. 21. Diff. Donell. 6. comm. 8. Hotom. 1. obs. 20:
§. ad §. 5. Inst. h. t. ubi etiam Wesemb. Alter diff. Hoen.
disp. 7. th. 7. Arum. disp. 7. th. 17. Conan, lib. 9. comm. c. 2. n. 3.

IX.

An contractus in testamento celebrari possit? N.
Fach. 5. cont. 32. Bronch cent. 3. off. 22. Arum. disp. 7. th. 18:
Forster, d. part. 1. disp. 12. th. 6. Diff. Hoen. disp. 7. th. 6. Gædd.
de contrah. stipul. cap. 4. concl. 2. in fin. Reusn. in tract. de
testam. part. 3. cap. 28. n. 8.

THESIS IV.

Prædictis solemnitatibus solutum est testamentum
militare: quippe milites, qui arma potius, quam ll.
scire præsumuntur, l. 22. in pr. C. de jur d. liber. ob ni-
miam imperitiam, simplicitatem, & pericula quibus Rei-
publ. causa se exponere coguntur, in conflictu hostium
quocunq; modo, etiam vagina, gladio, clypeo, literis
sanguine rutilantibus in pulvere terræ extrema condere
possunt, l. 15. C. de testam. milit. licet allegans testamen-
tum à milite factum esse, duobus id testibus probare
necesse habeat, l. 24. in pr. ff. de test. milit. arg. l. 30. ff. de
test. tut. Milites sunt qui in numeros relati stipendia
merent,

merent, & in expeditione occupati sunt. Unde post
missionem veterani, vel alij extra castra adhuc militan-
tes, testamentum si faciant, jure communi id facere
debent: & si in castris fecerint testamentum id ultra an-
num missionis honestæ seu causariæ vires suas non exer-
it, *§. 3. Inst. de test. milit.* Ex hoc privilegio militum,
miles nuda voluntate transfert hereditatem sine ulla so-
lemnitate, eademq; voluntate eam rursus adimit, *l. 15.*
§. 1. ff. de test. mil. potest decedere pro parte testatus, pro
parte in testatus, *l. 6. eod. l. 2. C. eod. l. 7. ff. de R. l. fi-*
liumfam. scienter prætereire, l. 10. C. d. t. Item surdus &
mutus in numeris manens, etiam si veniam à principe
non impetraverit, testari potest, *§. 2. Inst. de test. milit.*
l. 4. ff. eod. Quæ omnia & ejusmodi alia, quæ hinc
inde in ll. & constitutionibus occurrunt, pagantis sunt
denegata.

Quæritur.

I.

Num valeat testamentum militis coram testibus casu
interveniens factum? *A. Forst. part. 1. disp. 12. th. 11.*
Hoen. disp. 7. th. 11. Diss. Clar. in §. testamentum, quest.
58. num. 4

II.

An privilegij militum circa testamenta facienda
gaudeant milites stationarij, qui ad provinciæ quietem
aluntur, *l. liminarcha ff. de fugitivis*: & limitanei, qui in
fracturis hostium locis ad repentinas hostium in cursio-
nes intenti sunt, *l. 2. §. pro limitaneis C. de off. pref. prætor.*
Afr. & equites, qui publico ac ordinario stipendio etiam
in pace apud nos retinentur? *A. Hoen. disp. 7. th. 10. sub. fin.*
Forst. part. 1. disp. 12. th. 10. Diss. Gail. 2. obs. 118. n. 6.

A 2

An

III.


An milites nostri temporis? A. *arg. l. 31. C. locat. Gail. d. obs. num. 1. Vaud. q. 55. Vigl. ad Rubr. hic num. 11. Myns. num. 4. Sneid. num. 8. Sichard. ad Rubr. C. eod. n. 7.*

IV.

Num milites togatæ militiæ seu Advocati? N. *arg. l. 2. §. 43. ff. de O. I. Sichard. d. l. num. 4. Sneid. ad pr. Inst. h. t. num. 12. ibid. Wes. num. 6. Hoen. disp. 7. th. 12. Forster. part. 1. disp. 12. th. 12. Diff. Gail. d. obs. 118. num. 15. Grass. in §. testamentum q. 4.*

V.

An mercatores & lanij victuales, qui castra sequuntur? N. *arg. l. 1. l. 16. C. h. 1. Treutl. 2. disp. 10. th. 6. lit. b. Diff. Grass. d. §. q. 3. in fin.*



NOBI.



NOBILISSIMO AC
DOCTISSIMO,

DN. DANIELI RANTZOVIO,
IOHANNIS hereditarij in Salsovv
filio,

amico suo colendo.

BArbarie expulsa regnat nunc Pallas in orbe,
Arctoo, & plures gignit sua castra sequentes
Qui Eusebiæ Themidosq; colunt & Apollinis
artes,

Quam quibus insani sunt Martis prælia cordi.

Insolito hinc splendore nitet jam CIMBRICA tellus

Tot proceres regni ostentans, tot lumina, totq;

Insignes virtute viros nulli arte secundos

Eloquij, expertos legum, Musisq; dicatos.

Hinc varias adeunt terras & clara lycea

HOLSATI juvenes generoso sanguine creti,

Doctrina ut mentem exornent ac Palladis arte,

Illustrentq; genus propria virtute verustum.

Rostochium hinc ternos RANZOOM stemmate celso

Prognatos simul attentè ampla volumina juris

Et legum titulos sacrorum evolvere cernit.

Hosq; inter te SALSOVII magno patre natum

Miratur, DANIEL, WASMUNDO præside doctè

Jam

Jam dissertantem, placidè legesq; tuentem
De Testamentis laudanda indagine veri.
Hæc ergo ingenij excellens cultura politi
Te similem proavis reddet virtute, & amore,
Justitiæ, eloquio, ac doctrina; ad culmen honoris
Ut tandem summi ascendas, nomenq; per orbem
Splendeat usq; tuum semper post fata superites.

Matthaus Bacmeisterus
Phil. & Med. D.



Non tu usitata laude dignus es vehi
Flos gentis & spes magna, RANTZO-
VI, tuæ,


Quod inter hujus blandientis seculi
Et tot juventæ vana delectamina,
Queis illa primæ semper ætatis comes
Pellax voluptas & laboristædium
Flerumq; inescare optimas mentes solet,
Tenore firmo regiam calcas viam,
Et opere magno liberas artes colis.
Nam jura sic Romana discis & catá
Manu diurnus atq; nocturnus teris,
Ut disciplinam humanitatis & bonis


Non


Non nuncium interim remittas literis.
Hæc vera, crede, semita, hæc certa est viâ,
Quam semper omnis eruditorum chorus
Calcavit hanc insistere omnes addecet,
Qui rectâ ad ædem Honoris affectant viam,
Bonæq; Menti perlitare se student.
Sic perge, RANTZOVI, nec altas ingenii
Dotes, benignâ quas tibi indulsit manu
Cæleste Numen, desidis situ otij
Contaminari patere. Sic olim tuis
Sic Patriæ prodesse poteris, & boni
Obire civis plena laudum munia.

Johannes Kirchmannus,
Professor Poëseos publicus.









BILISSIMO AC
DOCTISSIMO,
NIELI RANTZOVIO,
NNIS hereditarij in Salsovv
filio,
amico suo colendo.

arie expulsa regnat nunc Pallas in orbe,
töo, & plures gignit sua castra sequentes
i Eusebiæ Themidosq; colunt & Apollinis
artes,
nfani sunt Martis prælia cordi.
plendore nitet jam CIMBRICA tellus
egni ostentans, tot lumina, totq;
e viros nulli arte secundos
tos legum, Musisq; dicatos.
eunt terras & clara lycea
renes generoso sanguine creti,
ntem exornent ac Palladis arte,
us propria virtute vetustum.
nc ternos RANZOUUM stemmate celfo
al attentè ampla volumina juris
s sacrorum evolvere cernit.
SALSOVII magno patrenatum,
NIEL, WASMUNDO præside doctè
Jam